

DIGRESSIUNCULAM  
*De*  
CHÆRETISMO

ALTDORFI d. 20. Nov. A. C. M D C C I X.

*ordine, quem vocant, circulari*

disputabunt

PRÆSES  
CHRISTOPHORUS

**Sonntag**

SS. THEOL. D. ET PROF. PRIMARIUS,  
ECCL. ANTISTES, ET h. t.  
FAC. SUÆ DECANUS,

ET RESPONDENS

JOH. CHRISTOPHORUS OESTERLINUS,  
Norimberg.

---

LITERIS KOHLESII VNIV. TYPOGR.

*al. C'XII. 51.*

ib . . . . . diss. A  
a . . . . . 51



DEO,  
PATRIÆ,  
ET  
PATRONIS.







# SUMMA TOTIUS DIGRESSIUNCULÆ.

**I**N frontispicio sistitur *LECTURIS* etymon, una cum homonymiâ vocabuli *Chæretismus*. Ejus synonymon *Evangelismus*, ex *Athanasio* & *Chrystostomo* dilucidatur, §. I. Testimonia, quibus probatur, *Chæretismus* præ cæteris jam figuram, jam festum salutationis *Angelicæ* notare, §. II. Quonam tempore hoc à *Græcis* celebratum §. III, IV. *Chæretismus* eorum *Mariolatricus*, ex *prophonesti* *Ecclesiæ Syriacæ* illustratus §. V. Consecratio particule panis *Eucharistici Mariolatrica* §. VI. *Χαιρετίζειν*, cum infimæ *Latinitatis* voce *salvare* collatum. *Χαιρεν* non orandi aut adorandi, verum salutandi significationem obtinet, §. VII. Frustrâ itaque *Chæretismus* noster *Angelicus* religiosæ adorationis symbolum fuisse putatur. Studium *Marianum Engelgravii* notatum una cum *Psalterio Divæ Virginis*, *globulisque* & *rosario Pontificio* §. VIII. *Gonzaga*, ut primum fari cœpit, etiamnum reptans, per quoslibet gradus *Ave Marianum* recitat apud eundem. *Chæretismi Angelici* prætensa efficacia §. IX. *Κεχαίωμένη*, non activè, sed passivè explicandum. Illo sensu minus rectè transfertur *Gratia plena*. *Ἐυλογημένη* qui à *Bernhardo* explanetur, §. X. *Adorabilitas Mariæ*, ex verbis *Fiat mihi secundum verbum tuum* à *Salazario* incassum elicitæ. Eiusdem blasphemæ commentatio de *Maria Trinitatis* complemento, ex verbis: *Spiritus S. superveniet in te*, §. XI. Captiosum *Bellarmini* argumentum, *Mariolatrias* non de verbis, sed de sensu verborum intelligendos esse §. XII, XIII. Perstringuntur aliæ blasphemæ *Salazarii Mariolatricæ*, v. g. in *Eucharistiâ* non solum *Christi*, verum etiam *Mariæ* carnem sanguinemque suscipi, imò communicantes in unam cum *Virgine* carnem migrare, atque adeo lacrymas quoque *Mariæ* sub cruce



cruce effusas, sanguini Christi mixtas, ibidem accipi &c. §. XIV. XV.  
 Disquiritur, num eòpse momento, quo vox Angeli καὶε sonnerat, con-  
 ceptio Filii Dei in utero Virginis sit facta. Laus Theophylacti §.  
 XVI. Epiphanius Mariolatris & Collyridianis oppositus §. XVII.  
 Notus est Athanasii sermo εἰς τὸν εὐαγγελισμόν, vel Baronio teste;  
 nec juxta eundem Patrem Alexandrinum creatura creaturam adorat,  
 §. XVIII. XIX Asciscuntur huc Scriptores Arabici, Patricides, Beidavi &  
 Abunazarus, de Marianitis aut Mariaminis referentes, quod crediderint,  
 tres esse Deos, nempe Deum, Christum & Mariam. Antidicoma-  
 rianitarum furor, ab Hieronymo notatus. Comitibus Nadasti nova Trini-  
 tas, nimirum JESUS. MARIA & JOSEPH. §. XX. Chæretismus  
 Ecclesie Æthiopicæ, ad omnia corporis Mariani membra directus.  
 Matthæi Armenii, Habessinici ad Lusitanos Legati, de salutatione  
 Angelica relatio ambigua B. Dn. Ludolpho visa. Professio fidei Pa-  
 pisticæ juratoria verba Concilii Tridentini Sess. XXV. de Sanctis sup-  
 pliciter invocandis declarat §. XXI. Chæretismus seu Salutio nomi-  
 nis Mariani Æthiopica cum salutatione præstigatoria & Cabbalisticâ  
 juncta. Formula orationis Mariane, apud Æthiopas nota. Origo  
 Hagioduliae ex A. C. Apol. generatim asserta. Canonisatio Sanctorum,  
 & singulorum penè dierum, ipsis dicata, nominatio, à Basilide deducta. In  
 Calendario Æthiopico mors Mariæ & plandus, eam secutus, annotantur.  
 Confessio Baronii de hac morte §. XXII. Dignitati & eminentiæ B. Vir-  
 ginis nihil detrahendum. Eadem fuit θεοτόκος vel ante Concilium Ephe-  
 sium à Greg. Nazianzeno, Basilio, Eusebio Pamphili, aliisque vocata.  
 Eadem nullis illicitarum ustionum flammis fuisse obnoxia, à D. Gerhar-  
 do piè creditur §. XXIII. Chrysostronus, Encomiastes quidem Mariannus,  
 nec tamen Μαριολάτρης, nedum Μαριουμανής, Angelicum nostrum  
 Chæretismus s. Evangelismum salutarem emphaticè  
 terminat §. XXIV.

I. N. I.



I. N. I.

§. I.



*Heretismus* apud recentioris ævi Scriptores Græcanicos geminum præ cæteris obtinet significatum. Vel enim notat *figuram historię illius notissimę*, quam Lucas, pictor optimus, nobis super *annunciatione Gabrielis ad Virginem representavit*, & in qua Angelum τὸν χαίρειζοντα, h. e. χαῖρα dicentem, quævis fausta apprecantem, adeoque εὐδαιμονίζοντα ἢ μακαρίζοντα exhibuit: Vel usurpatur a Græcis hodiernis pro ipsomet *Annunciationis Festo*, quod iidem ipsi quoque Εὐαγγελισμόν appellitant, perinde, ac nonnulli κηρυκτικὸν seu sermonem εἰς τὸν εὐαγγελισμόν ad *Evangelismum Deiparę Virginis*, Athanasio tributum, interpretantur, aliis τὸν εὐαγγελισμόν ipsammet salutationem reddentibus. Nihilosecius extat Homilia Chrysostomi εἰς τὸν Εὐαγγελισμόν τῆς ὑπερενδοξῆς δεσποίνης ἡμῶν Θεοτόκου, ad *Evangelismum gloriosissimę Domine nostrę Dei genitricis*, Oper. Tom. VI. una cum Frontonis Ducæi interpretatione *edit. Paris. pag. m. 356.* Per nos itaque licebit, si quis *Chæretismum* de ipsamet salutatione Angelica subinde exponat, propriamque adeo significationem cum Metonymica eat permutatum; quandoquidem Autores in promiscuum & liberaliorem hic usum discedere, & nomen vicinum pro vicino adhibentes, subjectum pro adjuncto, relatum pro correlato, & contra, ponere consueverunt.

§. II.

De anteriore vocabuli hujus notione diligentissimus Hoffmannus *Lex. Univ. sub hac voce* testimonium Anastasii Bibl. in Leone III. his depromit verbis: *Fecit vestem de Chrysoclavo, haben-*



bentem historiam Nativitatis & S. Simeonis, & in medio Chæretismum h. e. figuram annunciationis Gabrielis ad Virginem depictam. De posteriore vero satis manifeste observatur, quod, veluti solenniora quædam Græcorum festa Θεομητορικὰ, in cultum Deiparæ instituta, percrebuerint, docente Goaro Ritual. p. 12. ita inter hæc festum annunciationis, quod Ἰὸ χαῖρε appellant, non sit ultimum. Vid. Fehlav. ad Enchirid. Christoph. Ang. §. 141. & seqq. Joh. Bapt. Cotelerio edente Nomocanon de eo sic habet cap. 2: Τῆ εὐαγγελισμῶ τὴν ἑορτὴν, τὸ σεβασ δὲ πονέομεν, ὅτι σεβασμία πασῶν τῶν ἑορτῶν.

§. III.

Cæterum anniversariam hujus festi celebrationem alii Græcorum alii tempori voluere dicatam. Sane Evangelistarium, h. e. juxta Carolum du Fresne librum, qui Evangelia singulis Missis legi aut cantari solita continet, dum nobis describit Hoffmannus l. c. ex Nicone docet, Armenios quinto mensis Januarii vespere festum Evangelismi celebrare; idque facere anticipando existimantur, eò, quod in Quadragesima nullius festi celebrationem admittant. Similiter Ambrosiani in Quadragesima festum agere diem sibi religioni ducunt; unde ipsorum Breviarium apud Dominicum Macrum in Hierolex. voce Festum, diem isthunc sacrum in Dominica ultima Adventus repositum voluit.

§. IV.

Reliqui autem Græci, cætera quidem pene excludentes, hoc nihilominus, ut & festum quadraginta Martyrum, intra tempus τὸ τεσσαρακοστῶν collocare consueverunt. Incidit, uti notum, apud nos in 25tum Martii; nec Mariæ vero, sed Christo dicatur; ejusque mentio, quam reliquorum, antiquior est in Historiarum monumentis. Proin ea, quæ sub nomine Athanasii circumfertur, oratio, illo die habita, hoc Festum esse dicit ex Dominicis Festis, atque adeo primarium & prorsus venerandum. Et in sermonibus, qui apud Augustinum ha-

ben-




bentur de eadem Festivitate, Annunciatio Dominica appellatur. *Hoffmann. l. c.*

§. V.

Improbamus ergo *Chæretismum* Græcorum supersticiosum, idque potissimum ob Mariolatricam, cui adeo sunt immerfi, ut vel particulam panis consecrati in sacrificio Missatico huic Matri Deiparæ offerant, ostendente *Goaro ad Eucholog. p. 865. Conf. Syst. Goth. H. E. part. 2. p. m. 706. Exemplum Chæretismi* ejusdem nobis suppeditant verba, quibus Ecclesia Syriaca Vir-

ginem beatam antiquitus compellavit, orans :   


· h. e. *Salve a nobis, Genitrix Dei: Salve nubes velox Dei, de qua dixit Esaias gloriosus: Salve, arca Testamenti.* Quanam autem firmitate asseritur, Mariam per nubem Es. XIX, 1. intelligi? Quin sacræ literæ omnino refragantur, quominus per arcam fœderis eandem indigitari credamus, utpote quæ Christum כפורה ἱ. ἱλαστήριον & θρόνον τῆς χάριτος appellitant Rom. III. 25. Hebr. IV, 16. Vid. B. Dn. *Hackspernius* poster *Interpr. errabund. Lucubr. Franck. annexo p. 150.*

§. VI.

Consecrationem panis Eucharistici Mariolatricam *Christophorus Angelus Enchirid. cap. 14.* hoc recenset pacto : Σημαίνει δὲ ἄρτος ὁ ἅρτος τὴν παρθένον. Ὡσπερ ἡ Παρθένος ἦν καθαρά· οὕτω καὶ ὁ ἅρτος ἅρτος δεῖ ματρεῖσθαι ἐκ καθαρῶ ἀνθρώπου. Καὶ ἴδρον τὸν καθαρὸν ἅρτον λαμβάνει ὁ ἱερεὺς ταῖς χερσὶν αὐτοῦ, καὶ εὐλογεῖ, καὶ λέγει εἰς μνήμην τῆς παναγίας καὶ ἀχράντης Δεσποίνης ἡμῶν



ἡμῶν Θεοτόκῃ, καὶ ἑτέρας εὐχαῖς, καὶ ἀφιερῆ τῇ παρθένῳ τὸν ἄρτον ἐκείνον, *Significat autem hic panis Virginem. Quemadmodum enim illa ab omni immunditie aliena fuit: sic quoque hic panis ab homine mundo pinsi debet. Et hunc purum panem manibus suis prehendit Sacerdos, & benedicit in memoriam sanctissimæ purissimæque Deiparæ, Domina nostræ, ALIAS ETIAM PRECES RECITANS, VIRGINIQUE PANEM HUNC CONSECRANS.*

§. VII.

Cæterum verbum χαίρειν fallor, an conferre liceat cum infimæ Latinitatis voce SALUARE, pro SALUTARE, salutem impertiri, Gallis Saluer? Ita vero Latinum isthoc Verbum explicari debere sibi persuasum habuit in Glossario *Carolus du Fresne*, Anonymum in vita S. Cuthberti Episc. lib. 2. 1. 3. sic scribentem allegans: *Frater autem, sic vouens & perficiens, benedictus & Salvatus ab eo exiit.* Χαίρειν autem non orandi, neque adorandi, verum salutandi significationem ut plurimum obtinere, Lucas noster edocere potest, Actor. XV, 23. οἱ ἀπόστολοι καὶ οἱ πρεσβύτεροι, καὶ οἱ ἀδελφοί, τοῖς κατὰ τὴν Ἀντιόχειαν καὶ Συρίαν καὶ Κιλικίαν ἀδελφοῖς, τοῖς ἐξ ἐθνῶν, χαίρειν, *Apostoli & Seniores, & Fratres Fratribus, qui sunt e Gentibus Antiochie, & in Syria & in Cilicia, salutem dicunt.* Et cap. XXIII, 25. κλαύδιος Λυσίας τῷ κρατίστῳ Ἡγεμόνι Φήλικι χαίρειν, *Claudius Lysias Optimo Duci Felici Salutem.* Similiter Jacobus, cap. I, 1. Ἰάκωβος &c. τῶν δώδεκα φυλαῶν &c. χαίρειν. *Jacobus duodecim tribubus salutem.* Et Johannes II. Ep. ψ. 10. Χαίρειν αὐτῷ μὴ λέγετε. Ὁ γὰρ λέγων αὐτῷ χαίρειν, κοινωνεῖ τοῖς ἔργοις αὐτοῦ πονηροῦς. *Ne ipsi salutem dicite. Qui enim ipsi salutem dicit, participem sese reddit operum ipsius malorum.*

§. VIII.

Ridiculi ergo sunt, quotquot hanc salutandi notionem in Verbis χαίρειν aut χαίρειν in adorationem transvertunt, sive



sive sint Græci, sive Pontificii, orationis formulam inde captantes, eamque potissimum rudi plebeculæ præscribentes, qua Matrem Dei, Mariam Virginem invocare debeant. Et *Polydorus* quidem *Vergilius* de *Invent. R.* lib. 6. cap. 12. commemorat, Johannem XXII. ordinasse, ut sub vesperam ter campanæ pullarentur; quo audito, quisque salutationem Angelicam ter in honorem B. Virginis Mariæ recitare deberet. *Engelgravius* vero *Luc. Evangel. part. 1.* p. 106. mirifice rhetoricatur, quantum quis consequi possit, vel unicam dumtaxat salutationem Angelicam, etiam cum mentis evagatione, recitando. Hoc ipsi est studium Marianum: hoc pensum Marianum persolvere. Conf. de globulis Marianis, deque Rosario & divæ Mariæ Virginis Plalterio ea, quæ jam olim commentati fuimus *Tit. Psalm. pag. 343. & sequ.*

### §. IX.

Idem *Engelgravius Panthei part. prior. p. 280.* de Aloysio Gonzaga, Soc. JESU, anno 1568. nato, non sine projectu ampullarum & sesquipedalium verborum deprædicat, eum, ut primum fari cœperit, salutationem Angelicam, etiamnum reptantem, per quoslibet gradus recitasse. Quasi verò is non potuerit edere specimina religionis sanctiora, neque auspiciatiora infantia aut pueritiæ suæ ostentare primitias. Nempe enim hoc *καίρει* & *καρπίζειν*, hoc Ave Maria Angelicum tam efficax esse creditur, ut nos à Dæmonis offensis & discriminibus liberet, ipsos Dæmonas à nobis procul expellat, imò vel miracula efficiat circa mortuos. Id quod ex *Bromiardo, Tom. 2. Summ. Prædic. cap. 3. §. II. 12.* adduxit *B. D. Botsac. Moral. Gedan. p. 584.* Quin ipse *Svarez Tom. 2. Comment. Disput. 23. Quæst. 37. sect. 3: Angelicam*, ait, *salutationem Sanctorum recitamus, ut eam pro nobis Virgini representent; alios quoque Sanctos nobis ad Mariam parare viam, arbitratus.*

B

§. X



§. X.

Nec verò, tantam inesse Chæretismo Angelico efficaciam, inde probari solidè potest, quod addatur κεχαριωμένη; Vetus: *Gratiâ plena*: Id quod Activè capiendum veniat. Verum abso- num est, participium, manifestè passivum (quodque *gratiâ affectum* notat, perinde, ac Eph. I, 6.) citra ullam urgentem ne- cessitatem in Activum ire conversum. Quod enim non Activus, sed Passivus sensus hîc locum habeat, vel ex v. 30. patet: Εὖρες χάριν τῆς τῶ Θεῶ. Quod diversissimum est ab isto: Ἐδωκας χάριν τοῖς ἀνθρώποις, rectissimè ita respondente *Er. Schmidîo* Not. ad Luc. I, 28. Nec inde Chæretismus Angelicus aliquam Mariæ ὑπερδολείαν, Verbo Dei planè ignotam, aut eximiam adorabilitatem evincit, quod Legatus cœlestis εὐλογημένην *Benedictam* vocet; Quandoquidem etiam Jabel & Judith hoc ti- tulo quondam honorabantur; ne tamen adorabantur. Proin, explantante *Bernhardo*, Gabriel voluit dicere: *Non, quia tu benedicta, ideò benedictus fructus ventris tui; sed quia ille te prævenit in benedictionibus dulcedinis, ideò tu benedicta.*

§. XI.

Neque etiam jus aut cultum adorationis religiosæ Chæreti- smus Angelicus astruit eò, quod ἡ Θεοτόκος sub finem apparitionis dicat: *Fiat mihi secundum verbum tuum*; tametsi locutionem isthanc *Salazarius in cap. 8. Proverb. num. 274.* ita exaggerare non dubitet: *Deus ad hominem condendum haud satis esse duxit suum ipsius FIAT, opus omnium maximum; scilicet Incarnatio- nem Christi per FIAT Mariæ absolvit, ita, ut, quodammodo suum ipsius FIAT Mariæ FIAT postposuerit.* Hæc *Salazar* satis erroneè, ne dicam blasphemè: perinde, ac in Cap. 9. Prov. num. 303. col. m. 659. verba Angeli ἰδὲ χαριετιζοντῶ: SPIRITUS S. SUPERVENIET IN TE, hoc interpretatus est pacto: *Hac ra- tione Virgo sanctissima Trinitatem donavit complemento, quate- nus effecit, ut in ultima persona, scilicet in Spiritu Sancto,*

ⲉⲩⲛ



cui aliquid ex nostro imperfecto cognoscendi modo deesse videbatur, nihil omnino jam, etiam secundum nostram cogitationem, desiderare possimus. Tantum abest, ut vel verbum FIAT, vel ἐπέλευσις Spiritus Sancti, Mariam esse invocandam probent, ut potius τὸν μαριόδογον interpretatio tam præpostera ac supina in tetrum læsæ majestatis divinæ crimen dederit præcipitem.

§. XII.

Captiosum itaque est *Bellarmini* profugium *Lib. I. cap. 17. de Beatitud. Sanctor.* ubi ad inescandos simpliciores talia fatur: *Est tamen notandum, cum dicimus, non deberi peti à Sanctis, nisi ut orent pro nobis, NOS NON AGERE DE VERBIS, SED DE SENSU VERBORUM.* Nam quantum ad verba licet dicere: *Sancte Petre, miserere mei; salva me; aperi mihi aditum cæli; da mihi sanitatem corporis; da patientiam; da mihi fortitudinem &c. DUMMODO INTELLIGAMUS: SALVA ME, ET MISERERE MEI ORANDO PRO ME; DA MIHI HOC ET ILLUD TUIS PRECIBUS ET MERITIS.* Sic loquitur *Ecclesia universa*, dum in hymno ad *Virginem* dicit: *Maria mater gratiæ, Mater misericordiæ, tu nos ab hoste protege, & horâ mortis suscipe -- Et sicuti Apostolus de se dicit Rom. XI: Ut salvos facerem aliquos ex illis. Et 1. Cor. IX: Ut omnes facerem salvos, NON UT DEUS, SED JUVANDO CONCIONIBUS, PRECIBUS &c.*

§. XIII.

Incaustum hæc struuntur tendiculæ; siquidem verba sunt nimis evidentia: *Maria Mater gratiæ, tu nos ab hoste protege, in hora mortis suscipe, &c.* Non solum intercessionis, sed & ipsummet protectionis, liberationis & susceptionis subsidium à *Maria* expectunt. Deinde quando *Mariæ* accinunt: *Ora humiliter, & præcipe sublimiter, jure matris impera &c.* num hæc possunt eum habere sensum: *Præcipe & impera orando pro me?* Verba sunt, ut rerum symbola, ita quoque interiorum animi conceptuum ἀπεικονίσματα.



*υἱοματα*. Ex verbis igitur cujusque sensus rectissime colligitur. Quid itaque manifestius illa assertione Costeri, *Sanctos esse rogandos, tum ut pro nobis apud Deum intercedant, tum ut ipsi nobis opitulentur*? Sic quoque non tantum ad orationes, sed etiam ad opem & auxilium Sanctorum confugere mandat Concilium Trid. Sess. IX. Vid. B. Gerhard. LL. Tom. VIII. §. 350.

§. XIV.

Duridorem vero & crassio rem Mariolatram τὴν Εὐχαριστήν, quam Græci superius §. 6. astruere perhibebantur, committit Interpres sacrarum literarum Complutensis Salazarius, quam ab Ignatio suo Lojola sese didicisse asserit in Prov. IX. §. 44 & seqv. ajens: *Cogitabat (Ignatius) filium & matrem unam esse carnem & sanguinem, aut certe filium esse quandam matris portionem (sic enim tradidit Aristot. Eth. V. c. 4. Est filius pars ipsius Patris vel Matris; & Magn. Mor. lib. 1, c. 34: Nam quemadmodum membrorum parentis est filius, imo idem cum ipso) Hinc vero eliciebat, se in Eucharistia non solum Christi, sed etiam Mariae carnem sanguinemque, vel certe magnam, imo precipuam, Mariae partem suscipere. Nam si una filii matrisque caro & unus sanguis; qui filii carnem sanguinemque sumit, matris etiam carnem sumat, necesse est. Et si filius parentis sue pars aut membrum est, qui filium devorat, parentis quoque sue partem devorat.*

§. XV.

Nec dum fatis nœniarum, Pergit enim Lojolita cum Prodromo & Antesignano Sectæ suæ hac insubida consideratione deleniri: *Hinc vero fieri ajebat (Ignatius) ut, quicumque digne corpore & sanguine Christi reficiuntur, non solum una cum Christo Domino caro fiant, sed etiam in unam cum Virgine carnem migrent. Nam quæ sunt uni tertio identica, inter se quoque identitatem contrahunt: Virgo est una cum Christo caro, & nos item. Ergo cum Virgine etiam carne communicamus. Ex hac*

hac



hac vero meditatione Ignatii animus incredibilem voluptatem hauriebat. Et sane ob hanc solum rationem jure optimo Virgo panem suum appellare potest Eucharistiam. Quia nimirum ita Christi corpus & sanguinem continet, ut modo jam insinuato Deiparae carnem & sanguinem quodammodo etiam includat. Abominatur merito hanc idolomaniam Dn. D. Mayerus Catech. Papist. p. 85. addens illud, quod Fernandez. in Gen. cap. 3. n. 7. autemet, nos lacrymas quoque Mariæ sub cruce effusas, sanguini Christi mixtas, in cœna accipere. Quod autem de pane Eucharistico Mariano afferebatur, id Leo Allatius velit, & magno mercentur ante ipsum Henotici Florentini de anno 1438. Joh. Palæologus Imperator, Josephus Patriarcha, Julianus Cardinalis & Bessarion Nicææ Archiepiscopus, qui tamen domum reversi, & a suis male excepti, unionis pacta irrita pronunciarunt. Sed et Bernardus. de Busto Marial. part. 3. Serm. 3. lit. II. fol. 161. ait, magis confidendum esse Maria, quam Christo, cum a Deo & ejus justitia ad Mariam detur appellatio. Conf. Hülsemann. Manual. fol. 973. 964.

## §. XVI.

Neque porro Chæretismus noster vel religiosæ adorationis, qua Gabriel veneraretur Mariam, symbolum esse, vel eum post se effectum e vestigio traxisse potest, ut eo se momento, quo vox Angeli χαῖρε sonuerat, conceptio Filii Dei in utero virginis sit facta, & plenitudo gratiæ, propter quam addatur κεχαριτωμένη, ὁ κύριος μετὰ σὺ, Christum iamjam conceptum, & corpus Mariæ inhabitantem significarit. Obstat enim huic opinioni, judice Is. Casaubono Exerc. I. contra Baronium p. 114. quod etiam post hæc verba futurum tempus usurpat Angelus, cum ait: Concipies utero. Ab his itaque Chæretistis, ut ita loquar, dissentit Theophylactus in cap. 2. Luc. οὐ γὰρ εἶπεν ἰδὲ συλλαμβάνεις, ἀλλ' ἰδὲ συλλαβῆ. ὥστε ἐκ τῶν ἐστὶ συλλογίσασθαι, ὅτι τῇ ὥρᾳ μὲν ἐκείνῃ συελήφθη ὁ κύριος ἔμην αὐτῇ τῇ στιγμή καθ'.



καθ' ἣν ὁ Ἀγγελος ἔλεγεν ἀλλὰ τυχόν, ὅτε συνετέλεσε τῆς λό-  
γης. *Neque enim dixit: Ecce concipis; verum ecce concipies.*  
*Quare ex his licet argumentari, quod illa quidem hora conce-*  
*ptus est Dominus: non autem illo momento, quo Angelus dicebat;*  
*sed forte tum, cum absolvit sermones.*

§. XVII.

Cæterum Græculi Μαρομανεῖς habent, quod audiant Epi-  
phanium suum Hæres. LXXIX. Ἡ Μαρία ἐν ἰμῆ, ὁ κύριος προσ-  
κυεῖσθω, *Maria in Honore sit; Dominus adoretur.* Et paulo  
antè: Καὶ εἰ καλλίστη ἡ Μαρία, καὶ ἁγία, καὶ τέλειωμένη, ἀλλ' ἔκ-  
εἰς τὸ προσκυεῖσθαι, *Quamvis Maria vel optima fuerit, ac san-*  
*cta, & honore dignissima; non idcirco tamen adoratione prose-*  
*quenda.* Hæc Episcopus Constantiensis seu Salaminius loc. alleg. ubi  
Collyridianorum errorem confutat, apud quos mulieres quædam,  
καρμικόν τινα ἤτοι δίφρον τετραγώνον κοσμεῖσαι, currum seu sellam  
quadratam adornantes, & ἀπλώσασαι ἐπ' αὐτὸν ὀθόνην, linteum  
desuper extendentes, solenni tempore per aliquot dies panem  
proponere consueverant, & in Mariæ nomen offerre. Aut ita-  
que Mariam ipsam adorantes, otiosæ istæ mulieres collyridem  
huic obtulerunt, aut pro ipsamet Matre Virgine consecrare  
λάυτην σαθρὰν κάρπωσιν, marcidam, flaccidam, cariosam, de-  
tritam ac putrem illam oblationem, è frugibus depromptam,  
instituerunt. Utrumque stolidum & absurdum.

§. XVIII.

Nec magni verò pendendum, si Græci nobis unà cum Je-  
suitis Sermonem Athanasii εἰς εὐαγγελισμόν τῆν ὑπεραγίας Δε-  
σποίνης ἡμῶν Θεοτόκου, quem editio Colonienfis Tom. I. op. pag.  
1028. & seqq. exhibet, objectent, ubi dicatur Maria Regina &  
Domina propriè & verè, assistens à dextris Filii, ubique regnan-  
tis, quasi in vestitu deaurato, incorruptionis & immortalitatis,  
circumamicta: quâ de causâ gratiâ plena appellata sit, quam  
beatam prædicent omnes generationes, Angelorum & terrestrium  
hierar-



hierarchiæ. Clauditur nempe κηρυκτικὸν istud, cujus jam supra §. r. meminimus, hæc ἀνυψώσαι Marianâ: Ave gratia plena; Dominus tecum! Intercede, Hera, & Domina, & Regina, & Mater Dei, pro nobis. Quoniam ex nobis Tu oriunda es; & is, qui editus est ex te, σαρκοφόρος θεὸς noster est.

§. XIX.

Frustra omnino hinc stabilitum itur cultus religiosæ invocationis & adorationis Marianæ. Notata quippe ac supposititia est hæc homilia, & pro genuino Archiepiscopi Alexandrini fœtu haudquaquam agnosci potest. Consideretur, amabo, quid verus Athanasius ad Epictetum Corinthiorum Episcopum scripserit Tom. I. Op. p. 587. Ἀδελφὴ ἡμῶν ἡ Μαρία, ἐπεὶ καὶ οἱ πάντες ἐκ τῆς Ἀδάμ ἐσμεν, Maria soror nostra est, eo, quod omnes liberi sumus ex Adamo procreati. Et rursus Oration. III. contra Arrianos p. m. 394: κτίσματι γὰρ κτίσμα ἔπροσκυβεῖ, ἀλλὰ δὲ δεσποτὴν, ἢ κτίσμα θεόν, Creatura creaturam non adorat, sed quæ servilis sunt conditionis, Dominum; & quæ creatura sunt, Deum adorationibus colunt. Aut igitur sibi male constaret Athanasius; aut hæc de Evangelismo Demegoria Athanasii non est. Quod si hæc ratio Pontificiis minus sufficere videtur, adeant Baronium suum, qui Annal. Tom. I. A. C. 48. §. 19. & 20. invictis probat argumentis, sermonem isthunc Athanasii non esse librum genuinum; quæ inter non est ultimum, quod in eo refutetur error Nestorii. Scriptus ergo demum fuit post Concilium Ephesinum. Confer Andr. Riveti Critic. Sacr. pag. 263. & seqq.

§. XX.

Mirandum omninò, Μαροσέβειαν ad summum tandem absurditatis gradum ascendere, & cum blasphemia, ceu visum, conjungi posse. Hottingerus quidem certè Histor. Orient. pag. 343. docet, commemorare Scriptores Arabicos, Christianos & Muhammedanos, prodigiosam & portentosam quorundam sententiam.

ten-



lentiā, quæ B. Virginem, humanā sorte exemptam, Trinitatis complementum, adeoque Deum esse voluerit, cum Patre, Filio & Spiritu S. colendam & adorandam. Ita *Patricides* quosdam, eosque barbaros, Marianitas aut Mariaminos cognominatos, dixisse narrat, Christum & Mariam duos esse Deos, præter Deum. Nihilominus *Beidavi* & *Abunazarus* tres Deos, nempe Deum, & Christum, & Mariam à nonnullis creditos esse scribunt. Num verò Dei-genitricem pro Deâ habuerint essentia, num cultuali, seu mavis, num Collyridiani & similes eam humanæ naturæ prorsus expertem, ac divinæ tantum participem existimarint, id quod affirmatum iverat *Baronius Appar. ad Annal. S. 43.* & cum eo postea sibi persuasum habuit *Forbesius Instruct. Historico Theol. lib. II. c. 8.* illud titubantius decidit *Casaubonus lib. cit. p. 97. & sequ.* Deteriores certè hi tales mihi videntur Antidicomarianitis, à veteri Ecclesia meritò repudiatis, qui Mariam nato Christo plures liberos cum marito Josepho genuisse, non secus ac Judæi & Helvidius, somniaverant, *Hieron. adv. Helvid. fol. 4. c. d.* cum vel Turcæ ejusdem ἀπαρθεῖαν defensissent *Hotting. l. c. p. 142. & seqq.* Quin eo usque processit ista quorundam Marianomania, ut novam effingerent, & introducendam crederent SS. Trinitatem, cujus personæ sint JESUS, MARIA ET JOSEPH. Cui Trinitati Comes Nadasti, Viennæ ob conspirationem decollatus, in angustiis conscientiæ, sub vitæ terminum exantlatis, sese commendasse fertur. Vid. *Bun. Hist. Univ. p. m. 262. & in Germ. edit. p. m. 416.*

§. XXI.

In Ecclesiâ Æthiopicâ Chæretismus noster mirificè invaluit, ut adeò שִׁיר הַשִּׁירִים Habessini quadantenus imitentur, Beatissimam Virginem ab omnibus corporis sui membris salutando, eademque à capillis usque ad soleam pedum dilaudando. Carmina certe Æthiopica B. Dn. *Jobo Ludolpho* nac super re in promptu erant, unde nobis excerptum tale sistit, *Comment. in Histor. Æthiop.*

p. 363.



p. 363. **שלם לשערת ראשכי שלם לראשכי שלם לרצכי** Pax  
*capillis capitis tui! pax capiti tuo! pax faciei tuae!* Cultus quippe  
 ejusdem apud hos nimius, & tam frequens est, ut vel triginta duo  
 festa annuatim in memoriam ejus celebrent, & vigesimum pri-  
 mum uniuscujusque mensis diem illi sacrum esse velint. Conf.  
 ipsammet *Histor. Æthiop. Lib. III. Num. XLV.* Quantumvis *Mat-*  
*thæi Armenii*, primi Habessinici ad Lusitanos Legati, relatio Num.  
 I. in laudato Comment. qua salutationem Angelicam in celebri  
 usu apud Habesinos esse memorat, ambigua pronuncietur, ut-  
 pote quam inter preces quotidianas usurpari minime sit verum  
 pag. 267. Latini vere membra Deiparæ non salutare modo, sed  
 etiam adorare feruntur, ingeminando: *Adoro & benedico pedes*  
*tuos beatissimos, quibus antiqui serpentis caput calcasti. Adoro*  
*& benedico charissimum uterum tuum &c.* Proin Emserus Dei-  
 param Semper-Virginem MAGNAM DEAM haud dubitavit ap-  
 pellare; & formulæ juratoriæ Professionis fidei Pontificiæ juxta  
 Concilium Tridentinum, hæc quoque insunt: *Firmissime assero,*  
*Imagines Christi & Deiparæ Semper-Virginis, nec non aliorum*  
*Sanctorum habendas & retinendas esse, atque eis debitum ho-*  
*norem & venerationem impertiendam.* Conf. *B. D. Albert. In-*  
*teress. relig.* p. 487, & seqq. Quæ jusjurandi religio, cum quo-  
 tidiana praxi Ecclesiarum Pontificiarum conjuncta, lucem foene-  
 ratur haud exiguam verbis Conc. Trid. Sess. XXV. c. II. ubi de-  
 cernitur, bonum atque utile esse, suppliciter Sanctos invocare,  
 & ad eorum orationes, auxiliumque confugere.

§. XXII.

Salutant autem Æthiopes, pacem apprecando, præter  
 nomen Marianum etiam monstrosa quædam & Cabbalistica no-  
 mina, v. g. **אלף אישירדה עדר**, Alfa, Ijasjonrodech,  
 Hedra &c. quæ *B. D. Joh. Ern. Gerhardus ex Manuscripto Bi-*  
*bliothecæ nostræ Academicæ* exhibuerat, Ludolphus autem l. c.  
 p. 350. eadem voluit repetita. Sed & hîc oratio quædam Mariana

C. tra-



traditur, quam oraverit in ipsa urbe Berytho, quaque liberarit  
 Matthiam Discipulum, solutis omnibus vinculis, quæ erant in  
 urbe; in quâ sese appellat **ולדת חיה כל עלם** genitricem  
 vitæ universi mundi. Adeò pleni sunt vanitatibus atque præsti-  
 giis ejuscemodi Chæretismi Æthiopicæ, quæ ἀπορίων Græcæ est,  
 Ecclesiæ. Quod reliquum est, *Apologia A. C. ad art. XXI.* origi-  
 nem Hagioduliae, atque adeò ipsius etiam Mariolatricæ, acute  
 tigit, arbitrata, initio mentionem Sanctorum, qualis sit in vete-  
 ribus orationibus, tolerabili consilio receptam fuisse; postea  
 successisse invocationem; invocationem prodigiosos & plusquam  
 Ethnicos secutos fuisse abusus; ab invocatione ad imagines ven-  
 tum esse. Complementum autem incidisse in *Sec. IX. B. D. Alberti*  
*l. c.* opinatur, quo Leo III. Sanctos canonizasse primus, quo-  
 que cultus imaginum, hætenus acriter oppugnatus, obti-  
 nuisse scribitur. Cæterum *B. D. Nic. Hunnius* canonizationem  
 Sanctorum, eorumque nomina per calendarium, ut quisque  
 diei suo nomine insignito præesset, distributa, ad Basiliden auto-  
 rem retulit, teste usus Baronio, qui ad annum 120. §. II. me-  
 moret, Basiliden concepisse summæ virtutis nomen, ex quâ re-  
 liqui Dii dimanarint omnes, numero trecenti sexaginta quinque,  
 secundum anni dierum numerum. *Apostas. Rom. Eccles. p. 545.* In Ca-  
 lendario autem Æthiopico d. 21. Jan. invenitur **ערפת לאנצאחן**  
**מרים** *Obitus* (quies, requies, obdormitio) *Dominae nostræ Mariæ*;  
 aliàs **לח מת למרים** *planctus mortis Mariæ*. Quandoquidem  
 Alexandrini differentiam faciunt inter *κοίμησιν* Obdormitionem,  
 & *μετάσασιν* Translationem Mariæ. Illam die XXI. Jan. celebrant;  
 ejusque animam, à choro Angelorum solenniter in cælum subla-  
 tam, & corpus ab Apostolis in Gethsemane sepultum, die v. XVI.  
 Augusti in cælum asportatum, ac ibi animæ redditum fuisse,  
 tradunt. *Ludolph. lib. cit. p. 430.* Quid multa? Mortua est Beata  
 Virgo, fatente Baronio ad ann. XLVIII, n. 11. At stipendium  
 peccati mors Rom. VI, §. ult. Faceffant interim lepidæ de corporis  
 ejusdem assumptione fabellæ. §. XXIII.



§. XXIII.

Dum Schediasmation isthoc Philo - theologicum pangimus, & sporadicas nonnullas animadversiones in Mariolatricam, à Gabriele minimè omnium intentam, nec Chæretismo nostro decantatissimo approbatam, intorquemus; nolumus, ita nobis optata contingant, quicquam detractum dignitati & eminentiæ B. Semper - Virginis. Neque enim illa primitus in Concilio Ephesino Oecumenico, adversus Nestorium & Anastasium habito, Θεοτόκος, Dei Genitrix à Cyrillo Alexandrino cæterisque Assessores nuncupata est; verum etiam alii Patres antehac ὑπερένδοξον isthunc titulum ipsi fuerant impertiti. *Greg. Nazianzenus* ep. I. ad Chelidon. Presbyt. Είτις ἔ θεοτόκον τὴν Μαρίαν ὑπολαμβάνει, κωρεῖς ἐστὶ τῆς θεότης. *Basilius M. de hum. Christi gener.* negat, ὅτι ποτὲ ἐπάυσατο εἶναι παρθένη ἢ θεοτόκος. Sic & *Eusebius Pamphili*, lib. 3. c. 43. de vit. Const. de Helena loquens ait: Διὸ δὴ βασίλισ ἡ θεοσεβεσάτη τῆς θεοτόκος τὴν κύησιν μνήμασε θαυμαστοῖς κατεκόσμη. *Conf. Bevereg. Annot. in Can. Concil. Ephesin.* p. m. 104. Prætereà si vel maximè cum Bernhardo Epist. CLXXIV. dicatur, Mariam in ipso utero prius sanctificatam, quàm natam fuisse (quod Scriptura Jeremiæ & Johanni Baptistæ; Bernhardus etiam Davidi, tribuit) ex eo tamen minimè sequitur, eam vel per Chæretismum adorandam esse, vel juxta notam Franciscanorum doctrinam à peccati originalis contagio planè immunem fuisse. Sanctificatio enim peccati fomitem quidem minuit; non autem planè extinguit. Credimus ergò piè cum *B. Gerhardo nostro* LL. de pecc. or. §. 121. Mariam nullis illicitarum ustionum flammis unquam obnoxiam fuisse; sed potius anima & corpore virginitatis decus perpetuum obtinuisse, & sic perfectò modo Virginem fuisse. Inde tamen nullus Chæretismus idololatricus jure elici aut exsculpi potest.



§. XXIV.

*Chrysoſtomus in Homiliâ §. i. laudata*, quamvis multum de Matre Domini rhetoricatus, utpote quam præter cætera paradifum ratione præditum, portam orientalem, habitaculum Verbo dignum, alterum in terris coelum, fanctuarium Deo præparatum, *πασάδα τῆς ἐνανθρωπήσεως*, incarnationis thalamum, *καθαρὸν νυμφῶνα τῆς κατὰ σάρκα γενέσεως*, intaminatum cubiculum nativitatis Filii Dei secundum carnem appellare non dubitavit; nihil tamen de religiosæ adorationis cultu, ipsi deferendo, admiscuit. Imò & Chæretismi verba per elegantissimam plasim Deique, ad Gabrielem factam, prosphonesin, sine omni adorationis, cultusve religiosi, Mariæ deferendi, mentione sic expressit: *Σὺ εἶπες τῇ Μαριάμ· Χαῖρε, κεχαριτωμένη, ἵνα ἐλεήσω ἐγὼ Ἐύαν τὴν κεκακωμένην, Tu dicito Maria: Ave, gratia plena, ut ego miserear Eva, erumnis ac malis cumulata.* Dùm verò postea rem imperatam peregit Angelus, ad virginem ingressus, eam his verbis compellavit: *Χαῖρε, κεχαριτωμένη, ὁ κύριος μετὰ σοῦ. Οὐκέτι ὁ διάβολος κατὰ σοῦ. Ὅπως γὰρ τὸ πρῶτον ἔτρωσεν ὁ πολέμιος, ἐκεῖ τὴν ἐμπλαστρον ὁ ἰατρός ἐπιβήσιν. Ὅθεν τὴν ἀρχὴν τῆς ἐξόδου ὁ θάνατος ἔσχευεν, ἐκεῖθεν ἡ ζωὴ τὴν εἴσοδον τῆς ζωῆς ἐτεκλήνατο. Διὰ γυναικὸς ἐρύει τὰ φαῦλα. Διὰ γυναικὸς πηγάζει τὰ κρείττονα. Χαῖρε, κεχαριτωμένη. Μὴ αἰχμήν, ὡς αἴλῃα καταδίκης. Μήτηρ γὰρ τῆς καταδικάσαντος γίνῃ. Χαῖρε, κεχαριτωμένη. Χαῖρε τῆς χηρέυσαντος κόσμου Νυμφοτόκε αἰμίαντε. Χαῖρε, κεχαριτωμένη, ἡ ἐν μήτρᾳ τὸν τῆς Μητρὸς βυθίσασα θάνατον. Χαῖρε ὁ ἐμψυχῶνας τῆς Θεῆς. Χαῖρε ἕραν ἡ γῆς ἰσόρροπον οἶκημα. Χαῖρε τῆς ἀχωρήτης φύσεως χωρὶον ἐυρύχωρον, h. e. AVE GRATIA PLENA, Dominus tecum. Non jam amplius Diabolus contra te. Nam ubi primum hostis vulnus inflixit, ibi Medicamentum Medicus apponit. Unde initium egressus mors habuit, inde vita ingressum paravit. Per mulierem mala oriuntur; per mulierem bona scaturiunt, AVE GRA-*

GRA-



GRATIA PLENA. *Noli erubescere, tanquam damnationis causa. Mater enim ejus, qui damnavit, per gratiam redderis.*  
 AVE GRATIA PLENA. *Salve, quæ mundo, in viduitate jacenti, Sponsam parvis impolluta.* AVE GRATIA PLENA, *quæ in utero matris mortem submergis. Ave Templum Dei animatum. Ave cælo ac terræ par habitaculum. Ave spatiosum incomprehensibilis nature receptaculum.* Hanc tantam itaque *Χαρίτωσιν*, à Maria tanquam habitaculo ac Templo receptam, describens Patrum eloquentissimus *μεχαρίσωμένην* exhibuit Mariam, non activa, verum passiva gratia plenam; quod superius *ſ. 10.* innuebamus; neque adeo, religiosè ab Angelo invocata, neque à nobis invocanda, oratoria hujus Evangelismi diductione commendavit. Tripudiat modò devotus Constantinopolitanorum Episcopus, rursusque celebrans *Χαρεῖς εὐαγγελίας*, rursus libertatis indicia, rursus *ἀνάκλησιν*, rursus *ἐπάνοδον*, rursus lætitiæ denunciationem, rursus à servitute liberationem, solenniter declamat. *Colloquitur, inquit, cum Virgine Angelus; quandoquidem & cum muliere sermonem contulit serpens.* Quæ quidem verba cum ipse Panegyrici sui initium penè fecerit; nos eadem huic Chæretismi Angelici explicationi, instar clausulæ & signaculi loco, appendemus.

## EPIMETRA.

- I. **Q**ui Mariam, tanquam Mediatrix, Mediatori unico Christo in materia cultus religiosi aut æquiparant, aut anteponunt, in praxi exitialiter, in teoriâ fundamentaliter errant.
- II. Veluti ipsa invocatio Sanctorum cum cultu divino; ita & doctrina de invocatione eadem cum veritate Verbi divini, quod nos de uno Deo religiosè & suppliciter invocando docet, non est conciliabilis.



- III. Cum Tridentini anathematis fulmine utantur in eos, qui supplicem invocationem Sanctorum non docent, Sess. XXV. cumque ipse Pontifex singulis annis fidei nostræ tanquam hæresi publico anathemate, accensa & rursus extincta ac projecta candela maledicat, eamque cum fulminibus horrendis devoveat; Orthodoxi Theologi omni jure ac meritò hinc arguunt, Romam esse irreconciliabilem.
- IV. Relatum est, cum nuper Jansenianus monita salutaria ad indiscretos Mariæ cultores proposuisset, & monuisset, Mariam talem cultum, quali afficiatur, hoc est, divinum non affectare, repente alium quendam Papicolam acerbe stylum strinxisse, & *scandalosissimum hoc monitum* dixisse, eò, quod esset contra Praxin Ecclesiæ.
- V. Non est boni ominis sequela: Multum boni est, fatente Luthero, in Papatu; E. Religio Papistica est vera. Sed neque hæc aliqua gaudet firmitudine: Dantur multæ præclaræ doctrinæ, multæque confessiones veritatis, quas Deus singulari providentia apud Pontificios conservavit, & conservat etiamnum; E. Ecclesia Pontificiorum est vera Ecclesia.
- VI. Etsi Pontificius, certo respectu pius, melior est Lutherano impio, utpote servo, qui Domini sui voluntatem scit, & non facit; Tamen cadaverosa plane est, quæ hinc eruitur, *ἀκολυθία*: Ergo Fides Pontificia præstat Lutherana.
- VII. Aliter considerari debent errores Pontificiorum in se & abstractivè; aliter autem ratione subjectorum errantium, seu concretivè. Priori modo eorundem complures, & inter hos pertinax opinio de cultu meritisque Deiparæ ad salutem necessariis, fundamentum



mentum subvertunt. Posteriori modo si pensitentur, tum verò ignem agonis ejusmodi stipulas identidem consumere, & moribundos missis ejusmodi superstitionibus ad solum Christi meritum sese convertere, judicio charitativo nixi credimus.

VIII. Speculum divinitatis, in quo Sancti omnia intueantur, quæ eminenter seu virtualiter in Deo sunt, tanquam *ἀγαθόν*, dexterrimè confregit *Gerhardus noster LL. de Morte §. 324. & seqq.* Specularis quippe cognitio non ad futuram vitam pertinet, ubi de facie ad faciem videbimus Deum, sicuti est; verum ad hanc *I. Cor. XIII, 12.*

IX. Quid enimvero? Num asserat probetve istud speculum bonitatis divinæ ostensio, Mos facta *Exod. XXXIII, 19*? Extraordinaria illa fuit; neque adeò confirmat visionem Sanctorum ordinariam. Num beatifica Dei visio? Sed nec Angeli, ut ut faciem Patris cœlestis videntes, *Matth. XVIII, 10.* omnia noverunt, quæ sunt extra Deum. Ignorant quippe diem extremum *Matth. XXIV, 36.* Necdum homines. Num corporis Christi glorificatio? At enimvero in Sanctis non habitat tota divinitatis plenitudo *σωματικῶς*, veluti eadem in Christo habitat. Est itaque longè dispar ratio. Num denique divina revelatio? Sed specialis quarundam rerum revelatio, ad augmentum gaudii Sanctis in cœlo facta, nondum probat omniscientiam *καρδιολογίαν*, quæ ad religiosam invocationem omninò necessaria est.





Alve ! OESTERLEINI, sacrați in-  
dustria coetus

Portio , Spes Matris , Delitium-  
que Patris.

Salve ! dum Angelicum Salve tua pagina tradit:

Salve , ter salve , perpetuumque vale!

Dia Tuis adsit studiis benedictio ! Nunquam

Deficiant coeptis prospera fata Tuis !

*Quibus lineis votivis diligentissimo*  
DOMINO RESPONDENTI suo,  
*Ἰὸ χαῖρε Angelicum disputanti , bene*  
*ominatum & bene animatum*  
*Ἰὸ χαῖρε acclamat*

PRÆSES.

**V**irgo parit CHRISTVM; Genius fert  
verba salutis;

*Dum Virgo colitur , perditur illa salus.*

OESTERLINE , doces Genii bene nosse salutem:

*Ergo Tibi labor hic causa salutis erit.*

*Pereximio OESTERLINO*  
*prosperrimos semper studiorum successus*  
*ex animo apprecatus de insigni indu-*  
*striæ specimine gratulabatur*

CHRISTIANVS GOTTLIB. SCHVVARZ,

Philos. Moral. Orat. et Poes. Prof. Publ.

*Coll. diss. A. 114, misc. 51*